

Barrium, Marafioti, Flore, Ananiam, Puglisium, de Amato, nec etiam Brutios, sed Bretios, observamus.

Quod fuerint duplice nomine appellati, Bretii scilicet, & Brutii, asserit Flore; & illa quidem, subdit, temporum diversitate, atque distantia, ut fuerint veteres Bretii, vel Brutii, & recentiores quoque successerint veteribus. Illi post Ausonios, & Oenotros, a Brento, seu Brentio, Herculis filio, appellati, qui Consentiam condiderunt: Iste vero a Lucanis, qui Consentiam habitarunt, & Brutii sunt nominati. Cæterum si a nominibus volumus gentem nostram commendare, unum nobis sufficiet argumentum, quo ostendemus, Italæ nomen ab hisce populis nostris fuisse in universas Italæ regiones derivatum. En Pitisci verba: *Nec dubium est, quin Italæ nomen a Bruttiis ad proximos Lucanos transferit, & ab iis ad Picentinos, tum ad Campanos, inde item ad Latinos: ubi tanquam domi suæ, aliis sedibus relictis, remanserit.* Ferrar. de orig. Roman. Thes. Antiq. Roman. Græv. tom. 1. par. 3. D. 127. C.

Quid ergo Calepinus a vocum, seu nominum, foeditate, si quæ illis inesset, nos de honestat, qui nominibus gloriariamur, a quibus præclariores orbis provinciæ honestantur? Cur etymologias comminiscitur, rerum significationibus non consentaneas, immo nec verborum vocibus aptas, ut liberius possit commentis suis nos infestare? Quod nos ingenue fatemur, hoc est: populos nostros, Italos, Ausonios, Oenotros, Bretios, fuisse dictos; & horum nominum scimus originem, atque principium. Fuisse quoque Brutios dictos, ut nos etiam dicimus, ne ab aliis, qui ita scribunt, discedere videamur; at quando hoc cœperit nomen usurpari, cur mutatum, & inventum, a quo accep-